

Kreis
Steinfurt

S 171

1227 [zwischen März 25 und April 6].

[40]

Bischof Otto von Osnabrück befindet die Schenkung eines Zehntens in Esterwegen an die neugegründete Johanniterkommende zu Esterwegen (Kr. Hümmeling).

Otto, Dei gracia Osnab(ru)g(ensis) episcopus, universis Christi fidelibus hoc scriptum inspicientibus salutem in Christo Ihesu. Quotiens a nobis postulatur, quod iuri conveniat et ad ecclesie Dei pertineat incrementum, desideriis postulantium facilem impertiri debemus consensum. Sciant igitur universi fideles, quod Udo de Braken ecclesie nostre ministerialis decimam in Esterwede in manus nostras resignavit rogans, ut eam novelle plantacioni ad honorem Dei et beati Johannis a fratribus hospitalariis honorifice et laudabiliter incepte conferremus. Nos considerantes benignum eius affectum communicato conventus nostri et ministerialium ecclesie nostre consilio predictam decimam libere et absolute contulimus perpetua donacione in Deo et beato Johanni in antedicto loco servientibus, ita tamen, quod proprietatem domus in Horste, quam Udo denariis suis emerat, in recompensationem predictae decime recepimus eidem U. predictam domum in feodo conferentes. Ut autem factum istud ratum maneat in perpetuum et inconvulsum, presenti scripto sigilli nostri testimonio roborato, sicut actum est, fecimus annotari. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo septimo. Testes autem, qui huic facto aderant, hii sunt: Henricus maior prepositus, Wiboldus decanus, Olricus scolasticus, Godefridus custos, Hatholfus maioris ecclesie canonicus, Winricus sancti Johannis prepositus, Wicmannus sacerdos de Werlete; Sigehardus de Sugelen, Hugo Ursus, Frethericus Stuphinc, Giselbertus de Horst,

Bernhardus Saxo, Hermannus Buddo, Hermannus Hake, Udo de Groveren, Johannes de Vos, Vulfhelmus, Bernardus et Everhardus de Verence, Johannes et Josep de Selinethorpe et alii quam plures.

Orig. Siegel. VIII. Rep. II. 4. Nr. 2. — Bischof Otto I. wurde erwählt 1226 und starb 1227 April 6. Bergl. Philipp, OUB II. Nr. 215, 227.